

Za
1799





QX. 284.

POEMA EUCHARISTICUM

541
SS.

Pro laureâ Poëtica, annulo aureo, insignibusq;
ex Autoritate Majestatis Cælareæ Imperiali in cœtu multo-
rum Honoratissimorum Virorum, publicè collatis,
ac Diplomate confirmatis,



IN HONOREM

Plurimum Reverendi, Magnifici, Nobilissimiq; Domini,
DN.

ZACHARIÆ de BEICHLING,

JCTI CELEBRATISSIMI, COMITIS PALATINI
CAESAREI, ET NOBILIS SACRI ROMANI IMPERII
HAEREDITARIE EXEMPTI, &c. ECCLESIAE CATHE-
DRALIS IN EPISCOPATU MARTISBURGICO CANO-
NICI, COLLEGIATAE VERÒ DIVI SIXTI PRAEPO-
SITI, NEC NON DICASTERII ECCLESIASTICI,
QUOD IBIDEM EST, PRAELATI EMINENTISSIMI,
OLIM GENERAL. AUDITOR. S.R.M. &c.



Domini Mæcenatis sui Maximi, atque omni observantiæ
cultu ætatem Devenerandi,

*Simplici quidem inter meditationes sacras aliasque occupatione
intervenientes filo contextum & nullâ propter angustiam temporis
arte elaboratum, ex intimis tamen gratæ mentis penetrabilibus
profectum ac Martisburgi in Palatio Clericali*

MICHAELE GSELLIO,

Pastore Marck-Ranstadiensis,



Anno 1659. d. 30. Novembr. qui Natali suo quinquagesimo
septimo & Divi Andreae Apostoli memoriæ sacer erat, in
ipso Actu creationis Poëticae populofo, cessante Mu-
sicâ, decantatum.

HALIS SAXONUM,
Literis OELSCHLEGELIANIS.

U. 284





BEICHLINGE, decus Themidos,
Comes atque Palati,
Exempte Imperij, Nobilitatis ho-
nos,
Sublimis, quâ se fundit Mavortia
tellus,
Gloria, Devoti splendida stella
poli!

Et Tu, prælustri Ludi Clarissime Rector,
MOEBI, Theologici fulgida luxque Chori!
Nec non præsentem qui convenistis ad actum,
Castalio quorum pectora fonte madent!
Cernite Natalem, cum quo novus ecce resurgit
Penè insperanti jam datus artis honos.
Quod nunquam intrasset per inania somnia mentem,
Hoc in Natali contigit ecce die!
Pro quo persolvo grates Tibi Maximè Jova:
Abs te solo etenim provenit omnis honos.
Tu me formasti dilectæ matris in alvo,
Luminis hacque oras cernere luce dabas,
Præsidium à cunis ad canos usque fuisti,
Hactenus & quod sum, muneris omne tui est.
Muneris omne tui est solius, Maxime Jova,
Quòd cum Natali sit novus artis honos.
Aspice me porro! novus hic Tibi militet, adque
Publica collatus commoda vergat honos!
Sæpius hoc equidem memini prædicere, quorum
Pectora cognovi candidiora nive,
Qui mea, quæ interdum cecini juvenilibus annis,
Legerunt facili carmina scripta manu
Namque [fatebor enim.] sine cura ac sponte fluebant,
Quæque ferè volui scribere, versus erat.
Mirari incipiunt & me vocitare Poëtam,
Cum juxta mentem, nil minùs ipse meam.

Lau.

*Natali coro:
natur Pieta.*

Laurea quin etiam Magnus PREIBISIUS ultrò
Nexisset studiis præmia,serta meis,
Nî, BEICHLINGE, tuæ Lauro servatus adessem
In signum fortis, quâ minor ille fuit.
Quæ verò dubiam traxit sententia mentem?
Hæc puto fit, quoniam non satis aptus eram.
Nec quoque adhuc Phæbo videor nec dicere Musis
Digna: inter cygnos anseris instar ago.
Idque meâ tacitus mecum jam mente voluto,
Nec Phæbea tamen spernere dona licet.
Hîc dicent multi: Quæ te dementia cepit?
Non huic ætati talia conveniunt.
Haud ego diffiteor: superat tamen aura Virorum,
Laurea qui suadent sumereserta senem:
Sim licet expositus Momorum fortè cachinnis,
Nil moror: ingenuis sat placuisse Viris.
Pierides viridi cingunt mea tempora lauro
Illâ quâ fas est lætior esse, die:
Vitales quondam quâ sum productus in auras,
Natalisque mihi concelebrianda dies.
Quâ Divi ANDREÆ solennia festa recurrunt,
Ac mensis lux ter-dena Novembris adest.
Haud sanè ANDREAM dici voluere parentes,
Nomine sed MICHAEL dictus in amne sacro:
Et tamen ANDREÆ festum nova gaudia portat,
Pierioque meum maçtat honore caput.
Triginta attigeram vitæ ac tres insuper annos,
Debueramque mei Nominis esse memor:
Ex improvîso divina Vocatio fertur,
Nominis & voluit me monuisse mei,
Officij Sancti jussitque capessere fasces
Salvificæ fidei Verba docere gregem.
Hoc mihi semper erat rebus solamen in arctis:
In cunctis poterat me recreare malis,
Me quoties Verbi fortuna adversa Ministrum,
Haud cessat miseris excruciare modis.
Nunc annum postquam lustra atque undena peregi,
Et postrema senem nil nisi fata manent:

Anno 1603.
die 30. Nov.

In festo Mi-
chaelis Anno
1636.

Anno 1659.
die 30. Nov.

ER

En mea Apollineâ redimuntur tempora lauro,
Dum monstrat mortis mæsta Cupressus iter!
Aureus in digitis simul annulus ecce coruscet,
Non nisi qualis adhuc pronubus antè fuit!
Sic collata meâ nova sunt insignia genti,
Symbola quæ seræ posteritatis erunt,
Me licet indignum fatear, vix umbra Poëtæ:
Doctorem at dignum iudicat aura tamen,
Judicio quorum stat mens erecta cachinnos
Momorum contra, quos nihil esse puto.
Nec fas est temerè sapientum obsistere dictis,
Qui mihi sincero pectore & ore favent.
Quos inter facilè primas, BEICHLINGE, tenebis,
Cui jus Cæsareas sustinuisse Vices.
Namque Sacri Comitum Cæsar dedit esse Palati,
Exemptum Imperii Nobilem & esse dedit.
Produxit Cæsar, quod iniqui temporis imber
Stagnavit, Clarum ac Nobile Stemma Patrum.
Contulit atque unâ plures Tibi Cæsar honores,
Quis aliis multis utilis esse potes:
Romani Imperii quâ sese gloria jactat,
Tam latè effusus Cæsaris iste favor.
Rara avis es terræ, cûi nunc Astræica mitra
Servat & extollit Nobile Stemma Patrum.
Auguror inde Tibi reparata Dynastica jura,
Gens Tua Majorum qualia sprevit iners.
Cæsareum potuit tantum deferre favorem
Ensifer, Imperii dum sacra sceptrâ gerit,
JOHANNES patriæ Pater Ille GEORGIUS Alter,
Romani imperii summa Columna Sacri,
Quæ totâ cum Saxonica stet Stirpe Domoque,
Et cum Romani Cæsaris Imperio,
In freta dum fluvii current, dum sidera Cælum
Lustrabunt, donec vestiet herba solam!
Scilicet his meritò Te Cæsar honoribus auxit,
Quos tulit Ensiferi Gratia rara Ducis,

Spe-

Spectatas ob Virtutes nam digna dederunt
 Præmia: Virtutes hoc meruere decus.
 Hoc pietatis opes, & summa peritia Juris,
 Judiciique acies promerere decus.
 Hoc potuit morum gravitas, Suadæque venustas,
 Ac vis ingenii conciliare decus.
 Teutonici labor & studium, componere belli
 Ingentes motus hoc peperere decus.
 Nam pro Jure Sacræ quis Te pugnâs se negabit.
 Arte tuâ Patriæ Marte simulque tuo.
 Singula ne referam commissa negotia rerum,
 Quæ Magni faciunt Cæsaris esse loco.
 Quin citius possem capitis numerare capillos,
 Virtutes brevibus quàm memorare metris.
 Publica Virtutum sat erunt insignia testis.
 Debita promeritis tradita signa tuis.
 Testatur satis hoc Augusti Cæsaris ales,
 Cæsareum exornat cui diadema caput.
 Testantur satis hoc alata adapertaque Casis,
 Tresque trabes, stellæ tresque superpositæ.
 Stella Choro sis, stella Foro sis, stella Thoro sis,
 Inter & ætherei sidera stella poli.
 Hæc me Cæsareum Vatem quoque jura creârunt,
 Imponuntque meis laurea ferta comis.
 Aureus induitur digitis nunc annulus, atque
 Artifici dantur picta sigilla manu,
 Quæ nota sint generis nec non monumenta propinquis.
 Quæ, BEICHLINGE Comes, pignus amoris erunt,
 Immeritum planè tali dignatis honore:
 At major cæptis gratia rebus inest.
 Æstimat hinc magni tantum mea Musa favorem,
 Accipit & gratâ laurea dona manu,
 Me Vestræ, BEICHLINGE, quibus fecere Poëtam
 Pierides: certi signa favoris erunt,
 Huncque diem sumam lætus, qui primus in orsu
 Vitæ; qui in tali primus honore fuit.
 Mentem hoc solabor seu me fors impia vexet,
 Seu placidè aspiciant fata benigna senem:

Sup.

Supplicibus veneror Cælestia Numina verbis,
Felicem fervent sed mihi sæpe diem.
At Themidos, BEICHLINGE, decus, Comes atq; Palati.
Exempte Imperij, Nobilitatis honos,
Sublimis, quâ se fundit Mavortia tellus,
Gloria, Devoti splendida stella poli!
Quæ reddam pro Phæbis Tibi munera donis.
Natalem lubuit queis celebrare diem?
Quæ nam pro viridi solvam nunc munera lauro,
Collibuit nostrum quâ redimire caput?
Fulgidus in digitis quod sit nunc annulus auro,
Collibuit nostras quo decorare manus?
Quod mihi; quod generi nunc sint decora alta propinquo,
Quæ simul officio dent documenta meo?
Aspice tres hîc erectas auroque Columnas
Connexas: gemmas aspice: cassis adest:
Clausa quidem Cassis, duplici sed accinace comta,
Atque hîc in medio Laurea ferta virent.
Magna haud diffiteor deberi his munera donis,
Quæ sint pro meritis præmia digna satis:
Digna referre Tibi potero sed præmia nunquam:
Haud mea sunt meritis æquiparanda tuis.
Nam superare valent, seu quas Pæctolus arenas
Seu vehit auriferi ripa beata Tagi.
Ut desint vires tamen est laudanda voluntas.
Victima si desit, farre litare licet.
Carmina suscipias pingui approperata Minervâ:
Non magis ex liquido carmina fonte fluunt:
Nos tamen hæc quocunq; modo Tibi nostra vicissim
Dicemus, Nomen quæ super astra vehent.
Des veniam gratâ verbis ex mente profectis;
Vilia sint, gratum sufficit esse, licet.
Addemus Votum: Deus omnia cæpta secundet:
Non aliunde etenim provenit omne bonum.
Utere concessis, Romani de xtra Monarchæ
Quæ Tibi jura dedit, quæ patriæque Pater.
Indupe-

Induperatorique Ducique Tuisque superstes
Ac Commune bonum pluribus esto bonis.
Gloria divini quærat^{ur} Nominis antè;
Proxima dein veniat Cæsaris atque Ducis.
publica tunc patriæ comitetur in ordine longo
Et privata salus ponè sequatur eam.
Sic laus Virtutum nullis abolebitur annis:
BEICHLINGI Comit^{is} fama perennis erit,
Martisburgiacam dum præterlabitur Arcem
Unda Salæ, fluvium dum quoque piscis amat.
Gratia quòd veteri Sedi hæc sit facta Palati
Cæsaris; ecce latens omen habebit opum.
Donec ego vivam, Mæcenas Maxime, donec
Hunc mihi servabunt fata benigna diem,
Immemor haud fuero, quæ Magnificentia præstat
Vestra, sed hæc stabunt pectore fixa meo.
Sum tibi devinctus, quo non devinctior alter:
Devotus maneo tempus in omne cliens.
Seu me matutinus agam scandamve Cubile,
Pro Vestrà fundet Musa salute preces.
Sic tibi devinctus maneo, Clarissime MOEBI:
Sum tibi devotus, sum maneoque Tuis
Non aliã possum gratam ratione vicissim
Testari mentem ac significare meam,
Vestra quòd Aonium Præsentia jovit honorem,
Hanc fulgore suo clarificatque domum.
Perge mihi porrò solitum præstare favorem:
Porrò, ut capissi, perge favere meis:
Et memores erimus, fuerit dum vita superstes,
Nunquam hæc ex animis gratia Vestra cadet.
Sic haud displicuit quibus iste Poëticus actus,
Nunc Vobis grates officiosus ago.
Quòd simul exornare meum venistis honorem,
Præmia Musarum reddat Apollo pater,
Obtulerit si sese aliquando occasio, rursus
Promptus ego Vobis atque paratus ero.

Dicere

Dicere quæ potui, brevitatis dum temporis ur sis,
Interea quæso, consulite boni.
Vivere Jova sinat Cumææ secula Vatis,
Omnigenâque Omnes prosperitate beet,
Post seros annos atque ultima fata senectæ
In Cælis donec quisque beatus ovet.

IN LIVIDUM QUIENDAM ZOILUM.

Zoile, quid carpis, cui frons mentita capillos?
Forfan & in clauso pectore fucus inest?
Nil ego dicta moror Momorum & pectora falsa,
Qui carpendo aliàs se sapuisse putant:
Nec te; cui frons est fictis elata capillis:

Rem magnam prestas, Zoile, si bonus es.

Non sine consiliis Doctorum incepta Virorum
Hæc sunt, quod satis est: Cætera curo nihil.
Prævalidis mea mens prestat suffulta columnis,
Zoile, sed tandem fucus, ut umbra perit.
His missis versus facto jam fine rogatus

Ad tria verba Cano, quæ pia corda timent.

sc. CANTORES AMANT HUMORES.

Pocula pota placent Cantoribus, haud fluor undæ,

Sed vini & Zythi pocula pota placent:

Pocula pota placent, decies vacuata placebunt

Hac in BEICHLINGI pocula pota domo:

Pocula pota placent, Comitisque bibisse salutem

Ecce Palatini pocula sumpta placent!



Zoilus 799 97

Dicitur

W.D.

M

Pon Za 1799, QK

3
ULB Halle
003 645 940






QX. 284. POEMA EUCH

Pro laureâ Poëtica, annu
ex Autoritate Majestatis Cælar
rum Honoratissimorum V
ac Diplomate

IN HON

Plurimum Reverendi, Magn
DN

ZACHARIÆ de

JCTI CELEBRATISSIM
CAESAREI, ET NOBILIS S
HAEREDITARIE EXEMPT
DRALIS IN EPISCOPATU M
NICI, COLLEGIATAE VEI
SITI, NEC NON DICAST
QUOD IBIDEM EST, PRAE
OLIM GENERAL. A

Domini Mæcenatis sui Maxim
cultu ætatem I

*Simplici quidem inter meditation
intervenientes filo contextum &
arte elaboratum, ex intimis tam
profectum ac Martisbur*

MICHAELI

Pastore Marck.

Anno 1659. d. 30. Novembr. q
septimo & Divi Andreae Apo
ipso Actu creationis Poëti
sicâ, deca

HALIS S
Literis OELSCH

QX. 284



BIBLIOTHECA
MICHAELIANA

BIBLIOTHECA

